

Universitätsbibliothek Wuppertal

Ivstiniani Avgvsti Historia

Procopius <Caesariensis>

Lugduni, 1594

Agathiae elogium

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-147](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-147)



AGATHIÆ ELOGIVM,

Ex Suida.

Agathias advocatus, patria Myrrhineus fuit, qui post Procopium Cesariensem scripsit historiam, mirum facta Belisariana, resque partim in Italia, partim in Libya gestas: hoc est, Narsetus expeditiones in Italia, quæque tam in regione Lazorum, quàm Bizanti peracta fuerunt. Scripsit hic & alios libros, partim carmine, partim oratione soluta, quorum in numero sunt quæ Daphnica vocantur, & Orbis novorum epigrammatum, quæ ex poetis illius temporis ipse congregavit. Aetate fuit eadem, qua Paulus ille dignitate silentiarius, & Macedonius consul, & Tribonianus, Iustiniani scilicet temporibus.

DE AGATHIA, EX IPSIVS HISTORIARVM

Præmio, quædam ab interprete relicta, Græcôque de codice transcripta.

Complures autem meis ex familiaribus impellendo & hortando studium hac in re meum & excitavit, & confirmarunt, quorum in numero Echidnus iunior mendo princeps erat, vir inter imperatorum notarios primum facile locum obtinens, & quum cetera bonus ac solertissimus, tum doctrina litterarum excultus, floridorumque familia præclarissimum factus ornamentum. Hic ergo, quod ei res meæ plurimum cordi essent, magnopere de
incremento

in cremento existimationis honesta commodorumque meo-
rum sollicito, non desinebat urgere, spemque mihi bonam
ob oculos ponere. Non enim debere me dicebat institutum
hoc adeo graue perfectumque difficile ducere, nec idcirco de-
terreri, quod nullum aliquando periculum rei fecissem, per-
inde ac rerum nauticarum rudes formidare navigationem
solent. Potius mihi cogitandum esse, non longè ab historia
distare poeticam, hasque duas res esse germanas & co-
gnatas, solaque fortasse dictionis quasi mensura distinctas.
Itaque quod à domesticis & familiaribus ad domestica
transitus fieret, confidenter uti progrederer, omnibusque
uiribus in opus ipsum incumberem, iubebat. Huiusmo-
di quum mihi occineret, tandem adsentientem permul-
sit ac facile persuasit, atque hoc modo ad ista me contu-
li. *Vtinam* verò mihi liceat aliquid animi cupiditate di-
gnum efficere, proximèque rerum ad magnitudinem acce-
dere. Primum autem pro illorum more, qui scribunt histo-
rias, quis sim, & unde, significandum erit. *Agathias* mi-
hi nomen est, *Myrrina* patria, *Memnonius* pater. *Ars*,
quam profiteor, iura Romana sunt, & iudiciorum certa-
mina. *Myrrinam* verò quum dico, non oppidum illud
Thracense intelligo, nec si quod aliud in *Europa* fortè vel
Africa nomen hoc habet: sed illam in *Asia*, deductà ab
Aeolibus olim coloniam, ad amnis *Pylhici* ostia sitam,
qui è terra *Lydia* profluens in extremum se sinus *Elaitæ*
canalem exonerat. *Vtinam* verò mihi contingat huic de-
bita pro educatione premia quàm cumulatissimè pro viri-
bus persolvere, atque omnia patriæ nobilia facta littera-
rum monumentis accurata scriptione prodere. nunc quidè
nobis ea benigna propitiæque sit, & animi nostri studium
equi bonique faciat. Ad publicas autem maximasque
res gestas accessurus, non eam scribendi rationem sequar,
qua ceteri nostro seculo sunt vsi. Nam & alij iam hunc ad
laborem animum adiecerunt, quibus plerumque parum
est curæ veritas, atque uti res gestas ita commemorent
quemadmodum comparate sunt. Adeo nimirum mani-

feste plerisque potentia præditis adulari blandiendõ cupiunt, ut si quando vera fortè protulerint, fides eis non habeatur. Sicut autem eruditi homines laudationi tantum convenire tradunt, ut que cuius adsunt bona, orationis amplificatione extollat: ita historia non planè quidem & ipsa laudare recusat eos, qui facinus aliquod egregium patraverunt, verum meo iudicio non hunc habere scopum, nec de hoc adgnosci amat iudicio, sed sibi factorum peractio vel laudem, vel vituperium secum fert, non ei vim adferre fas est, nec res gestas pictura quadam exornare. Isti vero scribere se fatentur historiam, idque per inscriptionis pollicitationem præ se ferunt, sed nihilo minus ipsa conuenit experientia, scito quodam figmento eos adpellationem hæc sibi vindicare. Homines enim adhuc superstites, siue principes, siue alioquin illustres, non modo commemorandis rebus gestis celebrant: (parum enim hac quidem in re delinquent) sed nihil aliud esse sibi studio declarant omnibus, quam ut hos immodicè ut laudent atque prædicent. Mortuos autem, qualescunque tandem fuerint, aut improbißimos vocat, reique pub. perniciosos, aut, quod minus acerbum est, adeo contemnunt ut eos nec mentione quadam dignentur. Qua ratione rebus se presentibus rectè consilere putant, & eos sibi conciliando, qui quouis tempore rerum potiuntur, commodis suis prospicere: quum non rectè intellegant, nec illos ipsos quidem, qui ab eis laudantur, ista magnopere probare, quod adsentationem manifestam non satis habere virum cogitent, ad hanc de ipsis opinionem confirmandam. Quapropter hi sanè historias pro libidine morèque suo perscribant: mihi verò maximopere in hac enitenti, verax ut sim, quidquid enenerit, rectè indicandum. Commemorabo autem quecunque tum apud Romanos, tum pleròque barbaros in hoc usque tempus digna que litteris prodantur, gesta fuerunt, non ab iis tantum, qui adhuc fortè superstites sunt, verum etiam vel imprimis ab iis, qui rebus humanis excessere: neque quidquam illorum, que recenseri par fuerit, omittam. Et quamvis haud prius
me ad

ad historiã conscribendã contulerim, quã Justinus, &c.

EX D. CHYTRAE O.

AGathias Smyrnaeus, Procopij Historiam pertexuit, & ab anno Iustiniani 27. qui fuit à nato Christo 554. usque ad finem imperij Iustiniani, & annum Christi 566. bella cum reliquis Gothorum, & Francis, eorum sociis, Narsete duce feliciter confecta: item cum Persis in Lazorum regione seu Colchide gesta recitat. Qua occasione lib. 4. integrã & dignam observatu seriem regum Persicorum, ab Artaxerxe, qui anno Christi 230. Parthis imperium eripuit, usque ad Iustiniani Imperatoris tempora, & annum Christi 530. intexuit. In fine Hunnorum irruptiones in Thraciam & Graciam recenset: quos Belisarius senex feliciter represit.

IORNANDIS ELOGIVM,

Ex Trithemio.

IORNANDES ex monacho episcopus Gothorum, vir in diuinis scripturis studiosus, & in secularibus literis competenter eruditus, ingenio mitis, & apertus eloquio, scrutator temporum, & rerum gestarum scriptor insignis, fertur quaedam praecleara composuisse volumina, de quibus ad meam notitiam paucissima peruenierunt. Reperi enim tantum historiarum libros II. in quorum primo recensuit gesta Romanorum, in secundo verò originem & gesta Gothorum usque ad finem regni ipsorum. Clauit autem sub Iustiniano Imperatore, anno Domini 530. Libro secundo narrat ipse patrem sibi fuisse Alanomamthem, auum Periam, qui Candacis, Alanorum regis, toto eius vita tempore notarius fuerit. Vnde colligitur oriundum fuisse Iornandem ex Alanorum natione. Testatur ibidem, se quoque licet agrammatum, (hoc est, illiteratum, sic enim de se modestè loquitur) antequam religionem Christianam fuisset amplexus, officio notarij functum.